B. N. C
FIRENZE
1148
3

1148-3

Digitized by Google

1148
3

XXVII.
Bulengeri

Magl.
B. 5

A

1148,3

B

1148.3

C I

EPITHALAMIVM
SERENISSIMI
MANTVAE DVCIS
ET
CATHARINAE MEDICES
AD SERENISSIMVM
FERDINANDVM GONZAGAM
MANTVAE DVCEM.

Auctore IVLIO CAESARE Bulengero in Academia Piſana Humanitatis profeſſori.

MED. PALAT. BIBL. CAES.

PISIS, Apud Ioannem Fontanum, M.DC.XVII.
Superiorum permiſſu.

1148.3

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

AD SERENISSIMVM MANTVAE DVCEM, FERDINANDVM GONZAGAM.

DIOGENES Athenis Alcibiadis victoris reditu, cum publicam omnes lætitiam agerent, & nouis quiſque honorum titulis reperiendis incumberet, dolium ſuum per vias ſollicitè verſaſſe dicitur. Rogatus cur id faceret, reſpondit, ne in publico negotio omnibus operi attentis ſolus nihil agam. Ita & ego in publica lætitia, Sereniſſime Princeps, omnibus in te ornando ſtrenue occupatis, ne ſolus ferias agerem, te felices hymeneos Florentiæ auſpicante, veluti dolium meum verſans Epithalamium luſi, quod ſi Sereniſſimæ tuę Celſitudini arriſerit, gratijs & amori abunde litaſſe me putabo.

Tuus ex animo

Iulius Cæſar Bulengerus.

Epithalamium Sereniſsimi

MANTVAE DVCIS
&

CATHARINAE MEDICES,

Ad Sereniſsimum

FERDINANDVM GONZAGAM

MANTVAE DVCEM.

FORTE venus teneri ſuccincta Cupidinis arcu,
Quam iocus, & pꝗti ſemper comitantur amores,
Heſperiam antiquam luſtrans Amathunte relicto,
Flexit iter campis celſas vbi Mantua turres
Erigit, & lento vitreus pede Mincius errat.
Arriſit natura loci, non gratior illi
Viſa Paphos, non alta iugo frondente Cythera.
Miratur moles operum, faſtigia tectis
Aurea, & artificum manibus ſpirantia ſaxa.
Hæc quoque cura Deam tangit, ſi cernere poſſit
Tecta quibus primos vagitus edidit infans
Virgilius, teneriſque obduxit mella labellis.
Regificum mox ſpectat opus, Capitolia celſa,
Hic vbi tecta Duces centum ſuffulta columnis,
Atriaque Oebalio poſuere micantia ſaxo.
Hic parius, Phrygiuſque Silex, hic concolor alto
Vena mari, quam Synnas habet, quam punica cautes.
Hic nitet vndoſis Nomadum deciſa metallis
Purpura, & Eoæ rupes maculoſa Syenes.
Dum ſtupet, ac feſſos oculos per cuncta volutat,
Ecce tibi Princeps prima lanugine florens

Egreditur tectis, quem purpura læta iuuentæ
Induit, & gratos oculis aſpirat honores.
Qualis ab Oceani conſurgit Lucifer vnda,
Cum nitidos pinxit fulgenti murice vultus,
Non illum ſpecie Pollux, non robore Achilles,
Non dulci eloquij viciſset flumine Neſtor,
Ipſe etiam canis quod dat prudentia in annis
Conſilio ſollers iuueni ceſſiſſet Vlyſſes.
Hunc Latona vtero mallet fudiſſe ſub auras
Aſtra ſalutantem, quam te, licet Augur, Apollo.
Hunc ſi vidiſſes, non te Paris æquore vectam
Tyndari Pergameas prædo rapuiſset ad arces.
Non Anchiſiadę diſceſſu ſaucia Dido
Funereos arſura rogos, ferrumque petiſſet.
Obſtupuit viſu, veteriſque incendia flammæ
Vt ſenſit fluere in molles Cytherea medullas
Anchiſem putat eſſe ſuum, putat eſſe Gradiuum,
Sic oculos, ſic ille manus, ſic pectora ferro
Inuiolata gerit, gladium ſic vibrat in hoſtem,
Fulmineam valido ſic turbine commouet haſtam.
Et ſpumantis equi ſubigit calcaribus armos.
Vt tamen inſpexit proprius, filumq; relegit
Corporis, & validos oculis circumtulit artus,
Agnouit iuuenem regum de ſanguine cretum,
Qui ſceptra imperij duplici gemmata corona,
Et clauum tenuere manu, Diademate cincti
Qua nouus Eoo conſurgit littore Titan,
Et qua pronus equis mergit ſe gurgite in vndas.
Tum vulnus quod fecit amor ſub pectore clauſum
Obſeruat, tacitiſque accenſos ſenſibus ignes,
Tempore quo primum iuuenem Florentia capit,
Exque, oculis, CATHARINA, tuis mille ignea tela
Mille faces accendit amor, felliſque venenum
Melle ſaporatum per viſcera tota refudit.
Ex illo non luce quies, non nocte ſecuta eſt,
In ſculpti tacito viuunt in pectore vultus,
Te veniente die, te decedente requirit.
Quid ni autem, CATHARINA, tuo ſuccenſus amore
Ardeat, & molles conſumat flamma medullas,
Quæ ſuperos poſſis iaculis incendere amoris?

Ipſa

Ipſa ſuas tibi commiſit Venus aurea tædas ;
Inque tuis oculis procudit tela cupido .
Non illi fornax alibi, non firmior arcus .
Quot radij, tot tela tuis torquentur ocellis ,
Spicula tot certo fodiunt adamante medullas .
Non iuuenis tumidas ſecuit qui nocte procellas ,
Et mare Abydenum manibus, ceu remige fregit ,
Inter aquas arſit magis, aut magis oſſibus ignem
Implicuit, quem fluctus alit, quem frigora paſcunt .
Te ſi prȩda fores ratibus querenda, vel armis ,
Mille rates ſtreperent remis, te mille cohortes
Illius auſpicijs peterent, per mille pericla ,
Te per mille neces audax ſequeretur amator .
Immitis licet Oenomai rota ſæua minaci
Verbere pernices agat in ſua funera currus ,
Arduus iret equis, mortiſque pericla ſubiret ,
Vt tali tandem felix frueretur amore .
Tu generis ſtirpem trahis alto à ſanguine regum ,
Te Medicea domus celebri notiſſima fama ,
Qua ſol cunque diem ſpargit, & vtrumque recurrens
Reſpicit Oceanum decorat, te Gallia claro
Sanguine, te veteres ſanctiſſima nomina reges
Auſtraſiæ, te caſta parens ſplendore coronat .
Hæc tamen vt ſint magna, tibi pulcherrima virtus
Splendidius nitet, & maiori fulgurat aſtro .
Felix quam veſtit pudor, & cuſtodia mentis
Quam pietas, teneriſque annis prudentia maior ,
Syncerique animi caſtus vigor imputat aſtris .
Quid memorem molles aditus, doctiſſima fandi
Munera, Diuinæ fulgentia lumina formȩ ,
Sidereos vultus, quales vbi lilia multa
Mixta roſa arrident oculis, & dulce rubeſcunt .
Hi iuueni fido defixi in pectore vultus
Subijciunt flammas, atque ignea tela frequentant .
Cuius inexhauſtos Cypris miſerata labores
Acceptum gremio fouet, ac compellat amorem ,
Nate meum decus, & matris dulciſſima cura ,
Nate age quid ceſſas ? cur non miſeraris amantem ?
Cur lentis pateris iuuenem tabeſcere curis ?
Vt nix ſole fluit, vel cera liqueſcit ab igne ?

Spicula prome, auroque graues intende ſagittas,
Iam vacat, & durę pectus confige puellæ.
Sentiat illa tuæ vulnus medicabile flammę.
Dixerat, & cæcum valido puer improbus arcu
Dirigit in pectus vulnus, volat acta ſagitta,
Fertque leues flammas, telumque in pectore condit.
Paulatim rigor abſcedit, concretaque duro
Corda gelu ſolui ſenſim, & miteſcere diſcunt.
Iam lacrymæ mentem ſubeunt, pulſantque dolentem,
Quas iuueni toties expreſſerat æſtus amoris,
Noctis & inſomnes tangunt præcordia curæ.
Tot gemitus, humileſque preces, repetitaque vota,
Tot fidei, certique animi monumenta recurrunt.
Iam dat victa manus, placito ne pugnet amori.
Sancta parens, magni fratres, Hetruria tota
Concordes animos æterno fœdere nectunt.
Fama volat late, quacunque Oenotria tellus
Diuite ſe gremio pandit, concurritur, vltro
Conueniunt proceres, feſtoſque canunt hymenæos.
Ipſi etiam cęlo ſuperi veniſſe relicto,
Donaque congeſſiſſe manu, floreſque feruntur,
Harmonie quales Tyrio cum nupta marito eſt,
Aut Thetis humani cum iunxit fœdera lecti.
Adfuit ante alios volucri Saturnia curru,
Maieſtate grauis, quæ largis prodiga donis
Imperium, & rerum dominos promittit honores.
Adfuit & ramo Pallas frondentis oliuæ
Cincta caput, certa ſpondens conſortia pacis.
Hanc ego naſcentem, dixit, terraque cadentem
Excepi, fouique ſinu, teneroſque per artus
Ambroſiam fudi, & roſeis pro lacte labellis
Nectaris immulſi ſuccos, nec turpe putaui
Fingere membra manu, niueam vel comere frontem,
Collaque, & Aßyrio crinem deducere amomo.
Huic animum finxi, doctas hanc ire per artes
Edocui, duxique manum, ſeu vellera certa
Tinxit acu, Serum ſeu pollice licia traxit,
Seu varios auro implicuit, oſtroque labores.
Riſit amor, magnoque vehens Ericyna paratu,
Quę ſimul ac cantu Florentia moenia feſto

Feruere,

Feruere, perque vias, pertuſaque compita ludos
Senſit agi, niueos ad frena vocauit olores,
Accurrunt teneri fratres, innoxia turba,
Pennatiſque humeris matrem per inane ſequntur.
Vndique concerpunt flores, texuntque corollas,
Et tenues ſertis limbos florentibus ornant.
Hac oneras Narciſſe, illum roſa candida veſtit,
Illa fert alter manibus, molleſque hyacynthos,
Huic Amarante rubes, croceaque amplecteris vmbra,
Dulce illi adſpirant violæ, decorantque comantem,
Omnis honos cadit in currus, cygnoſque volantes.
Tunc Dea Tyrrheni Ducis ad Florentia tecta
Vertit iter, veris quacunque inceſſit honores
Suaue rubent, molleſque exſpirant floribus auras.
Sub pedibus genialis humus ſua munera fundit,
Et volucrum placide motis exercitus alis
Vritur, ac varijs concentibus aera mulcet.
Ante volant rubræ Diua veniente columbæ.
Vt leuibus ventorum alis per inania vecta
Quadrijugos currus florentibus intulit aruis,
Excipiunt Charites Dominam, perque omnia ducunt.
Vrbis erat medio circus, quem plurima in orbem
Atria cingebant latam ſpectantia turbam.
Lignea ſurgebant circum tabulata, graduſque
Per cuneos, quales magnis Circenſibus olim
Roma dedit, tunc cum ſepteno meta recurſu
Trita frementis equi fractos effunderet axes;
Huc venus intrantes magno videt agmine Muſas
Aurato inuectas curru, gradibuſque ſedentes
Exſtructis montis ſpecie, quibus aſsita laurus
Arcebat ſolis radios, vmbramque ferebat.
Hunc currum nectente iugo per longa elephanti
Octoiuges ſpatia obnixi ceruice trahebant.
In ſummo ſublimis erat præcentor Apollo
Purpurea inſignis palla, legeſque ferebat,
Quem circum Aonides modulatum gutture carmen
Iungebant fidibus, digitoſque, & plectra mouebant.
At Chorus inferior citharæ certabat, & arte,
Et varijs captas mulcebat cantibus aures,
Tibia iuncta lyræ, cornuque volumine torto

Errabat

Errabat digitis, & erat diſcordia concors
Auribus inſidens captis, animoſque tenebat.
Dulcius haud vnquam Iouis ad conuiuia Muſæ
Certarunt numeris, digitoſque & plectra probarunt.
Mox videt ire equites belli ſimulacra cientes.
Concurrunt haſtis alij, Clypeiſque coruſcant,
Miſſilibus alij pugnant, hic cominus hoſtem
Deijcit, ille procul, varius Mars ſæuit in armis,
Pro ſe quique viri certant, & proelia miſcent.
Finis erat pugnæ noua cum ſpectacula ſurgunt.
Cornipedes auro ſtrati, pictiſque tapetis
Ad numerum terram feriunt pede, quos caua cantu
Suſcitat, æquatoſque indicit buccina motus.
Attollunt pariterque pedes, pariterque reponunt,
Alternantque vices, glomerantque ad tornua greſſus,
Virga regit curſus, & flexos temperat orbes.
At Venus exactis, ubi facta ſilentia ludis
Sparſit odoratam per cuncta ſedilia meſſem,
Cynnama ſpirarunt late, tum nube remota
Ex ſiluit curru, claraque in luce refulſit,
Inceſſu confeſſa Deam, Chorus omnis amorum
Purpureos ſparſit flores, imbreſque roſarum
Deſuper infudit Calathis, pictoſque hyacynthos.
Virginis hinc complexa manus Cytherea, uirique
Miſcuit, & lætis auibus connubia vinxit,
Ite pares animis, non murmura ueſtra columbæ,
Brachia non hederę, non uincant oſcula conchæ
Ora legant animas, & mutua pectora nectant,
Non cornix ſuperet fidos, non turtur amores.
Coniugio è tanto ueniet labentibus annis
Qui vultu & ſolida referat virtute parentem.
Hoc omen Cytherea dedit, plaudentibus alis
Annuit arridens ventura prole Cupido,
Mox tenuem ex oculis procul euaneſcit in auram.

F I N I S.

2
1148.3

99 962440

ALLEGRI LABORAT RESTAURO LIBRI PARMA